LEGATVM DISTRIBVENDVM IN NVPTIIS MVLIERVM PAVPERVM, DISTRIBVI debet in Nuptiis virginum, non viduarum.

TItius, ut fama eſt, moriens, Mulieribus olim
Munera pauperibus diſtribuenda, locat.
Quæritur, an Viduis, an ſint hæc danda Puellis:
Cùm muliebre dari Nomen utriq; poteſt.
Magna quidem laus eſt viduas accendere tœdas:
Sed laus de Nuptâ virgine major erit.
Tum quia jam viduis multùm deferbuit æſtus,
Qui ſolet in teneræ virginis eſſe Sinu:
Tum quòd eas docuit magis experientia rerum,
Quâ ſibi, quâq; ſuis conſuluiſſe queant.
Et Venus (à ſolito niſi jam defecerit uſu)
Vota puellarum digna favore putat.
Nec Veneris morem legis ſententia damnat.
Talia decreto comprobat acta ſuo.
Adde quòd & thalamis Lex eſt inimica ſecundis,
Viſa puellari caſtior eſſe jugo.

ERGO.

Non poſſunt viduæ, ſed egenæ virginis eſſe,
Quæ ſunt fœmineis diſtribuenda thoris.

BRITISH 9. DE.75 MUSEUM

VENDITIO IVRIS. IVRANDI RELLIGIONE MINORIS OBSTRICTA, firma permanet.

MAIOR adhuc ſurgit dubij Contentio Iuris
(Bartole) judicio diſcutienda tuo.
Vendidit & ſanxit juratæ fœdere linguæ
Vendita, pòſt voluit pœnituiſſe, Minor.
Sed ſerò voluit. Nam cur ſine Crimine, falsò
Vendita reppeteret, non repetenda, Minor?
Non extorta metu juſto eſt, nec viribus ullis
Venditio. Legis robore firma manet.
At quoq; jure licet, jam ſub Tutore, Minori
Reſtitui, rapuit ſi quid avara Manus:
Et licet, & liceat (Neq; enim non vera fatebor)
Si non impediat Relligioſa fides.
Sit prior hæc pretio. Falſæ perjuria linguæ
(Credere fas) pœnas, vindice lege, dabunt.
Intus habet, quod pũgat, edens ſua viſcera, quiſquis
Compellat falſo perfidus ore Deum.

ERGO.

Firma manent, Iunior quæ tunc venalia fecit.
Iurato pactam quòd dedit ore fidem.

CANTEBRIGIÆ. 1586. Iuli. 3.

EADEM RES DVOBVS VENDITA, CVI PRIVS TRADITA, NON CVI PRIVS VENDITA eſt, debetur. l. quoties: C. *De Rei Vindicat.*

REM FVRIVS fallax, nequam veterator, eandem
Diuerſo geminis tempore vendit heris.
Emptor uterque venit, rem poſtulat alter, & alter,
Hic probat, ille negat, clamat uterque ſuam.
Quæro quis è geminis emptoribus, omnia veri
Iura. ſtatum, titulum, ſolus habebit heri?
Reſpondent ſummi juris legiſq; periti,
Hunc Dominum, primò cui datur, eſſe rei.
Et meritò hæc reſponſa ferunt: ſic poſtulat uſus,
Sic ratio ſuadet, ſic rata jura docent.
Æqua vel inde liquet juſtæ ſententia legis,
Quòd res ſint domini traditione ſui.
Nil refert nudis te quicquam vendere pactis:
Venditur ex pacto. nil, niſi verba, tuo.
Da mihi, demq; tibi. Si nil damus, omne neceſſe eſt,
Te penes eſſe tuum, me penes eſſe meum
Quod capio, credo: quod præſens traditur, utor.
Pacta fides ficta eſt, nil manus icta ligat.
Æneare mihi poſſent gemmantia ſceptra:
Dum nemo tradat, qui volet, emptor erit.

QVI ALIORVM FASO VSVS EST INSIGNIBVS, INCVRRIT CRIMEN FALSI L. eos qui: Pa. fin. ff. ad legem *Corneliam, de falſis.*

TITIVS illicitis mendax inſignibus uſus,
Quas ſubijt pœnas criminis ergô rogas?
Accipe, damnandi gravitate movebere facti:
Non illi mulctam dixeris eſſe levem.
Siſtitur, accuſant, damnatur, crimine falſi
Plectitur, ejicitur nudus, egenus, inops,
Omnibus exhæres, exlex, vænalia fiunt
Publica de propriis jam bona facta bonis.
At gravis hæc (inquis) nimis eſt ſententia legis,
Nec par delicto reddita pœna ſubeſt:
At tu ſi ſcires quàm falſi incurrere crimen
Sit grave, non pœnam dixeris eſſe gravem.
Nominis impoſiti ſupplent inſignia verum
(Nam referunt hominum nomina vera) locum.
Alterius falſò fictis inſignibus uti,
Eſt ſeſe talem nomine ferre virum.
Iſtius ille igitur veros ſuratur honores,
Falſaq; pro meritis venditat arma ſuis.
Hoc ſi quid liceat, pius impius, hoſtis amicus,
Dives inops, Codrus deniq; Cræſus erit.